

05

A

192



IN NOMINE JESU
TRIUMPHATORIS ADSCENDENTIS!

FESTUM
ADSCENSIONIS
DAVIDICO-PAULINUM,

EX ORACULO EPHES. IV. 8. 9. 10.
IN ACADEMIA ELECTORALI
WITTEBERGENSIUM,
AD MEMORIAM, ET GLORIAM ADSCENDENTIS,
DEVOTE CELEBRABUNT,

PRÆSES

D. JOHANN. Deutschmann/
Prof. Publ. & SENIOR,

ET RESPONDENS,

DANIEL KREUDZNER

CONNARIA SAXO,

Publica Disputatione

AD DIEM XXX. MAJ, ANNO MDCXC.

IN AUDITORIO MAIORI,
Horis Antemeridianis.

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS WILCKII,



05 A 192



IN NOMINE JESU

VICTORIS ADSCENDENTIS!

DE JESU CHRISTI IN COELOS ADSCEN-
SIONE,

EX EPHES. IV. 8. 9. 10.

Textus Graecus: Διὸ λέγει· Αναβὰς εἰς ὑψῆς,
ἠχμαλώτευσεν ἀχμαλώσιαν, καὶ ἔδωκε δόμα-
τα τοῖς ἀνθρώποις· Τὸ δὲ ἀνέβη, τί ἐστιν, εἰ μὴ ὅτι
καὶ κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς
γῆς; Ὁ καταβάς, αὐτός ἐστι καὶ ὁ ἀναβάς ὑπερ-
άνω πάντων τῶν ὀρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάν-
τα.

Latinus Vulgatus: Propter quod dicit: Adscen-
dens in altum, captivam duxit captivitatem, et de-
dit dona hominibus. Quod autem adscendit, quid
est, nisi quia et descendit primum in inferiores par-
tes terrae? Qui descendit, ipse est, et qui adscendit
super omnes caelos, ut adimpleret omnia.

B. Luth. Versio: Darumb spricht Er: Er ist
auffgefahren in die Höhe / und hat das Gefäng-
niß gefangen geführet / und hat den Menschen
Gaben gegeben. Daß Er aber auffgefahren
ist / was ist's? Dann daß er zuvor ist hinunter
gefahren in die untersten Dertter der Erden.
Der hinunter gefahren ist / das ist derselbige / der
auffgefahren ist über alle Himmel / auff daß er
alles erfüllet.

A 2

L. Ad.



I.
Ascensio Christi nonnullis dicitur *Felix Itinerarii Christi Clausula*. Notatur his breviter, & satis convenienter (1) *Ascensionis Christi Causa*, quæ Christus, omnium suarum actionum vera, proprieq; sic dicta *Causa*; cum primis, quia dicitur *Ascensio Christi*, siquidē Christus ascendit, non alius ascendit. (2) *Ascensionis Christi Materia*, quod materialiter *Ascensio* supponat *Itinerarium Christi*, respiciat illud, & sic materialiter hoc *itinerarium* sibi subjiciat; *Ascensio* supponit *Itinerarium* hoc, quia ab hoc, vel etiam post hoc *itinerarium* ascendisse dicitur: materialiter illud respicit, dum ubi mundi *curriculum*, & *Itinerariū* desinit, ibi *caelestis Ascensionis tripudiū* incipit, & hoc illud materialiter ante se requirit: hinc etiam *Ascensio* materialiter illud concludit: & sic non inconvenienter (3) *Ascensionis Christi Forma* sequitur: nam ubi *forma* datur, ibi *Materia* quoque desideratur, vel ante *formam* postulatur, dum à *forma materia*, quæ talis, *actuatur*, ad *formam* ordinatur, & in *forma* terminatur, hinc *clausula* dicitur totius *Vitæ Christi curriculum*, vel *Itinerariæ meta*. (4) additur deniq; *finis*, quod sit *Felix Clausula*, dum ad dextram Dei, vel omnigenæ *felicitatis* consedit.

2. Est autem *Ascensio Christi Clausula realis Itinerarii Christi* (1) *Prophetice*, quia non semel in V.T. *triumphalis Ascensio*, tanquam *clausula* vel *peregrinationis*, vel *predicationis*, vel *operationis Messie*, fuit introducta. *Psal. XLVII. 6.* dicitur: *Ascendite Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ*, nim. postquam præcepit *Apostolis*, tanquam suis *Legatis*, & in bello mystico contra *Satanam*, strenuis *Ducibus*, ut omnes gentes docerent, & doctrina sua, tanquam *gladio Spiritus*, *Eph. VI. 17.* *populos omnes subjicerent*, *Matt. XXII. 19.* quò gentes omnes plaudere possent, prout dicitur: *v. 7. Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce tubæ: quoniam hic Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super terram v. 3. subjecit populos suos Apostolis, Israelitis, verbo, & gentes sub pedibus eorum, v. 4. elegit Apostolos, & alios fideles in hereditatem suam, speciem Jacob, quam dilexit: Sela: postea tanquam*
glo-

gloriosus Victor, & Rex ascendit, v. 6. & seqq. ut ipsi, tanquam
Deo psallarant omnes. Similis locus habetur *Psal. LXIX. 19.* ubi
 de *Christo* dicitur: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, ac-*
cepisti dona pro hominibus. Sed unde *Christus* ascendit? à Monte
pingvi. Mons est *Sion,* vel *Calvaria,* vel *Olivet:* Mons pingvedinis,
 qui vera dicitur *Ecclesia,* jamq; pingve factus sanguine passionis, &
mortis Christi. v. 16. Mons *Dei* ibid. cum *Ecclesia* sit civitas in mon-
 te posita, *Matt. V. 14.* in montibus *Sanctis* fundata. *Pf. LXXXVII. 2.*
 Quando vero, juxta *Davidem,* ascendit? Post militiam peregrina-
 tionum suarum, post vulnerationem calcanei, *Gen. III. 15.* acerbis-
 simam passionem, & mortem, post certamen magnum, maxi-
 meque sanguinolentum, *Esa. LXIII. 1.* seqq. post victoriam partam,
 cum esset *ζωοποιουβεις,* seu vivificatus, *I. Pet. III. 18.* post descensum ad
inferos, v. 19. & exspoliatos principatus, & potestates, *Col. II. 15.*
 post victoriosam resurrectionem, ibi, juxta *Psaltem,* captivam du-
 xit captivitatem, vel, juxta *Paulum,* traduxit exspoliatos principa-
 tus, & potestates confidenter triumphans illos in seipso. *Col. II. 15.*
 Hæc omnia de *Vite,* Militiaq; terrestris clausula veniunt intel-
 ligenda. (2) *Typice:* Spiritus Sanctus autem annotavit typos im-
 mediatos, & mediatos. Typos immediatos in *λογος* *Θαβειας,* siqui-
 dem *λογος* in *V. T.* Patriarchis, & aliis fidelibus apparuit, de cæ-
 lo descendit, & post apparationem, vel peregrinationem, predicati-
 onem, vel etiam sacrificiorum oblationem, clausulam expeditionis,
 nim. ascensionem, vel reditum in cælis, adjecit, suæque legationi
 finem imposuit. Et licet hoc non semper verbis sit expressum,
 tamen in aliis locis legitur expressis verbis, *Gen. XVII. 22.* Cum-
 que finitus esset sermo, (nim. Institutionis Circumcisionis, Pacti, vel
 confederationis, Benedictionis & c.) loquentis (*Messias*) cum eo (*A-*
brahama,) ascendit *Deus ab Abraham.* *C. XII. 33.* Abiit Dominus
 (*Messias*) postquam cessavit loqui ad *Abraham,* & ille reversus est in
 locum suum. *Judic. VI. 18.* cum sacrificium in conspectu *Gedeonis*
 obtulisset, & ignis de petra carnes, azymosq; panes sacrificiales
 consumsisset, *Angelus Domini,* vel *Messias,* simul evasit ex oculis e-
 jus. *C. XIII.* cum mirabiliter coram oculis Parentum *Samsonis,* in
 sacrificiis offerendis, egisset, & ascenderet flamma altaris in calum,
 ecce, *Messias,* *Angelus Domini* pariter in flamma ascendit. v. 10 Hoc

Dubio procul etiam in prima *λογος* *Παρεΐα* *paradisiaca* coram
 oculis *Protoplastorum* factum est, licet non sit consignatū. Quod
 enim *semel*, ac *iterū*, in solennioribus quibusdā actis *Messie* no-
 tatum, & annotatum est, in reliquis locis implicite subintelli-
 gendum. *Typi mediati* clarissimi reperiuntur in *Henocho*, *Gen.*
V. 24. & *Elia. II. Reg. II. II. (3) Historice*, tum apud *Marcum* c. *XVI.*
19. tum apud *Lucam*, c. *XXIV. 51.* tum *Act. I. 9.* hęc *Itinerarii Chri-*
sti clausula nobis describitur. (4) *Didactice*, sic passim apud *E-*
vangelistas, cum primis apud *Johannem*, & in *Epistolis Apostolo-*
rum doctrina triumphalis adscensionis exponitur. (5) *Practice*, vel
Paradigmaticè, nobis in *exemplum*, & *imitationem*, vel ad *mysticam*
nostri cum Christi conversationem, *Col. III. 1.* hęc annotata de-
 prehendantur. *Christi adscensio* nostra sit *adscensio*, sicut *Maria*
Magdalena non obscurius indicavit: *Job. XX. 17.* *Noli me tangere;*
vade autem ad Fratres meos, & dic eis: Adscendo ad Patrem meum,
& Patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum.

3. Nos igitur modo tempori serviemus, & dum *Ecclesia*
latatur in Adscensione Domini, nos in *Academia* non tacebi-
 mus, sed calamo non tantum, verū & *corde*, simul & *ore* *Trium-*
phalem Christi Salvatoris Adscensionem repetemus, ut sic etiam
internos Nomen Adscendentis Domini sanctificetur, *Regnū ejus*
propagetur, & *Voluntas Magni Triumphatoris*, quoad per *imbe-*
cillitatem nostram fieri potest, religiosius observetur, cui debe-
 tur omnis memoria, simul & omnis gloria, vel *Imperium*, & *glo-*
ria in seculorum secula, Amen, sicut *Petrus* inquit: *I. Pet. IV. II.*

4. Hac vice *Meditationibus* sacris hujus *Adscensionis* consecra-
 bimus illustre *Paulinū Oraculum*, *Eph. IV. 8. 9. 10.* partim propter
perspicuitatem, quia perspicue *Mysterium Adscensionis* pro-
 ponit, & verbis evidentissimis exponit: partim propter *plenitu-*
dinem, quia cuncta, quæ circa *Triumphum Adscensionis* cognitu,
 credituq; necessaria, brevissimis verbis complectitur; partim
 propter *ordinis pulchritudinem*, quia pulcherrimum servat in
 omnibus ordinem, sicut ex sequentibus erit manifestum:
 partim propter *Doctrina Catholicam habitudinem*, quia *Mysteri-*
um Adscensionis quoad *fidē Catholicam*, & ex *Veteri*, & *Novo Testa-*
mento, luculenter introducit, & *Harmoniam Doctrina* quoad o-
 mnia

omnia tempora, luculenter ostendit. Hoc autem ut fiat in
Gloriam Adscendentis Domini, clementer id efficiat. Ipse, per
Spiritum Veritatis, cujus dona largissime propter *Adscensionem*
suam nobis gratiose concedat, id quod sequentibus *suspe-*
riis Trochaicis expetimus!

Sancte Christe, Scande Coelum,
Excita piisque Zelum,
Ut sequantur usque gressum
Corde, non ament regressum!
Mundus hic colit maligna,
Scansionis alta tigna
Temnit; hinc adhæret orbis
Sordibus Malignus omnis!
Scande celsa, Sancte Christe,
Scandat hic, & scandat iste,
Ac Ego per arcta scandam
Hanc viam, piis amandam!
Sum gravis, nec ire possum
Ad superna, fervo passum
Inferum! Trahas potenter!
Sic Ego sequar libenter!
Antecessor esto semper,
Sim pedissequus frequenter
Omnibus diebus, inde
Sim Comes Tuis abunde?

Mentis usque cogitata,
Oris atque cuncta fata,
Vita tota quæ dat, acta
Tu vehas ad alta Tecta!
Civis hinc soli malignus,
Factuo favore, dignus
Civis audiam polorum
Nunc per æva seculorum!
Laus, Honorque SCANSIONIS
Tecta repleat Sionis!
Canticum det omnis hora,
Corda plena sint, & ora!
Hæc dat ipsa Gratitude,
Spiritusque promptitudo;
Grata sint Tibi, precamur,
Quo tuas vias sequamur!
Grata Verba SCANSIONIS
Suggerat Caput Sionis,
Dona Patris & parata,
Dona Spiritus Sacrata!

5. Ut autem *Oraculum* hoc *Adscensionis* convenienter ex-
pediamus, ad *ordinem* cuncta revocabimus, & in hoc ductum
versiculorum, commatum, & verborum, ipsorumque *mysteriorum*
pressius observabimus. Offendimus autem *triplex* in *Oraculo*
nostro *lumen*, vel *tergeminam lucernam*, quæ nobis evidenter
viam tractationis demonstrat, videl. primum *Lumen propheti-*
cum, mox *Historicum*, & demum *Didacticum*; hinc ideo notabimus
I. *Viam Adscensionis Propheticam*. v. 8. II. *Viam Adscensionis Histo-*
ricam. v. 9. III. *Viam Adscensionis Didacticam*. v. 10.

6. Quod attinet *Viam Adscensionis Propheticam*, illa potis-
simum ex *Psal. LXIX. 19.* verbis clarissimis introducit, & v.
8. pro-

8. proponitur: Propter quod dicit: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus.* In his notamus (I.) *Propheticum Ascensionis Introitum.* (II) *Propheticum Ascensionis Oraculum, vel Eloquentium.*

7. *Propheticum Ascensionis prodromum, vel Introitum, fi-* stunt verba: *Propter quod dicit: his exponit Apostolus (1) Di-* sentis motivum, *Propter quod.* Apostolus hic locum *Propheticum* adduxit. Est autem *motivum aliud immediatum, v. 7. quia glo-* riatur Apostolus in Domino, quod unicuique nostrum data sit *gra-* tia secundum mensuram donationis Christi: quam donationem nunc ex *Oraculo Psalmico demonstrat per connexionem evi-* dentissimam: *Propter quod dicit: Ascendens in altum &c. & dedit* dona hominibus. Hoc etiam Christus ostendit de *Sancti Spiritus* dono, quod post *Ascensionem* misit: *Joh. XVI. 7. Ego veritate dico* vobis: *expedit vobis, ut Ego vadam, si enim non abiero, Paracletus* non veniet ad vos; *sin autem abiero, mittam eum ad vos.* Dedit ergo *Spiritum Sanctum, & cum eodem omnia reliqua dona spiritua-* lia post *ascensionem* suam. Aliud *motivum* in *precedentibus* videtur esse *varium, juxta Paulum, nos unum, vel alterum saltem* producimus, nim. (1) *Dignam juxta vocationem nostram ambu-* lationem, v. 1. ut nim. cum omni *humilitate, & mansuetudine, cum lon-* ganimitate ambulem, quemadmodum Christianos decet. Hæc autem omnia *dona benignitatis Christi* sunt, non *studia voluntatis,* aut *facultatis nostræ.* Talia vero *dona* tum *Ephesius,* tum aliis *Gentilibus,* demum post *Ascensionem* dispensare constituit, cum *talis universalis dispensatio* potius ad *statum Exaltationis,* quam *Exinanitionis* referenda veniat. (2) *Christianam in charitate sup-* portationem, vel *sublevationem,* quæ pariter à Christo capite *fluit in Christianos, tanquam membra.* (3) *Christianam, vereque* sollicitam *unitatis conservationem,* de qua prolixè *Paulus* per *varia genera spiritualis unitatis* verba facit. v. 2. 3. 4. 5. 6. Alia nunc *dimittimus.*

8. (2) *Dicendi principium, quia Dicens* hic *introducitur, qui* *mysterium Ascensionis Messianæ* verbis *apertis* proponit. *Dicens* autem hic, vel est *ipse Deus,* vel etiam in *scripturis lo-* quens, *Spiritus Sanctus: vel est David, Rex illuminatus, & Spiritus*
Pro-

Prophético motus, cujus lingua calamus fuit prompti scribæ, Spiritus sancti, Psal. XLV. 1. Conf. II. Sam. XXIII. 1. 2. vel etiam ipsa Scriptura vocatur instrumentaliter dicens, quemadmodum Paulus non raro scripturam dicentem introducit, Rom. IV. 3. IX. 17. X. 8. 11. XI. 2. Gal. IV. 30. &c.

9. (3) Dicentis Objectum, quod est ipse Messias, & ejus ascensio, non equevidem ita nude, ratione sui spectata, sed potius relata, partim ad Exaltationis statum, ratione Messie, quod tanquam victor captivam duxerit captivitatem; partim ad salvationis fructum, quod etiam pro nobis hominibus dona suscepit, & per fidem ac nobis dederit, atq; secundum mensuram donationis suæ dispensarit, & adhuc dispenset. Grotius equevidem de quadam ascensione Dei vel legali, vel judiciali, dictum hoc Classicum exponit, inquam: Adscendisti in altum, à Sinai in celum, ut solent Reges, judicia exercituri, tribunal conscendere. Vid. Matt. XXVII. v. 19. Verum castigatus à B. Dn. D. Calov. in Bibl. Illustr. ad h. l. Sic & Grotius ab ipsis Reformatis refutatur. Polus in Pl. LXIIX. ad hæc Grotii verba notat: Non placet hæc Glossa: (1) quia loquitur David de ascensione aliqua insigni, & Prophetâ hic agit, non historicum. (2) loquitur de ascensione, quæ conjuncta est cum triumpho captivam ducentis captivitatem, quæ non congruit ascensioni de monte Sinai. (3) Nusquam legitur, Deus à Sinai in celum adscendisse. (4) Non Dominum, sed Angelum, in Sinai fuisse, jam dixerat Grotius. (5) Deus, cum judicia exercet, descendere dicitur. (6) jam erat judicium in hostes per actum, cum adscenderet, quia ascendit triumphans, & post victoriam obtentam. &c. Hæc Polus contra Grotium ex B. Calovio probavit, eaq; de causa notavit. Et hic apud Paulum habemus Interpretem, quavis exceptione majorem, ipsum Spiritum S. qui non de Dei simpliciter, sed Christi; non legali, sed Evangelica; non judiciali, sed salutari; non suppliciorum, sed donorum, & beneficiorum; non tribunalis, sed dextra Patris favorabilis, &c. locum hunc intelligendum evidenter ostendit.

10. (4) Dicentis scopum, quod hæc Spiritus sanctus in
B Psal-

Psalmo dicat, tum immediate, Ecclesia Israelitica, sicut totus Psal. LXIIX. luculenter indicat: tum mediate, sic dicitur hoc partim Ecclesia Catholica, quæ suis Symbolis Oecumenicis profitetur, precibus & cantibus publicis, ex his, & similibus veneratur Ascensionem Christi Salvatoris: partim Ecclesiæ cuiuslibet particulari, quæ pariter in Domino de bonis, & donis Ascensionis lætatur; partim unicuique anima fidei, quæ cum primis in hoc tempore festivali propter Ascensionem triumphalem gaudia sua celebrat, & multiplicat.

II. *Propheticum Ascensionis Oraculum ostendunt verba syntactica, quæ tria comprehendunt. (I) Triumphalis Ascensionis Statum: Ascendens in altum: In Psalmo LXIIX. 19. non in participio, sed in verbo, nec in tertia, sed in secunda persona, legitur, & peculiaris $\pi\epsilon\sigma\sigma\phi\acute{\alpha}\nu\omega\sigma\iota\varsigma$ adhibetur: Ascendisti in altum. Cum variæ sint de presenti Psalmo, quoad Objectum, & argumentum proprium sententiæ, de quibus Vid. B. Dn. D. Carolus in Bibl. Illustr. ad b. l. statim ab initio; nobis tamen indubitata stat sententiæ, quod hic de Christo, & non alio quodam Objecto, cum primis V. T. quoad sensum literalem agatur, & quidem noster hic versiculus 19. ad Ascensionem Christi referatur. Notamus autem hic (1) loquendi formulam, quæ non una, tam in loco primitivo, quam in derivato. Nam in loco primitivo dicitur: Ascendisti in altum, partim per modum allocutionis: sicut enim Psalter hic peculiare de Ascensione Christi vaticinium annotat, ita pariter hoc illustre vaticinium itidem indubitatum reddere cogitat, partim quia sicut rem gestam, eam viderit, inter spectatores ascensionis extiterit, & ipsum Messiam ascendentem allocutus sit, ejus nomen sanctificaverit, & in hac ascensione vehementer sibi gratulatus fuerit; partim quia loquitur in præterito, nim. Ascendisti in altum, ac si triumphus Ascensionis jam tempore Davidis, vel etiam aliis præteritis temporibus, peractus fuisset, ut firmissima fide de rebus à Deo gestis testari posset; partim quia sic divinorum vaticiniorum naturam ostendit, quod ejusdem sint, & maneant veritatis, atque certitudinis, sive per præterita, sive per*

per

per presentia, sive per futura proponantur, cum suo modo
 sint praterita, ratione divinorum decretorum, dum ab æterno
 definita sunt; suo modo presentia sint, quoad æternum, & sic
 continuum Dei cuncta videntis intuitum, cum Deus semper sit,
 maneatq; παντοπιος, sicut & quoad salutarem usum, quem
 semper ipsis credentibus parant, atq; præstant; suo modo de-
 niq; futura sint, quoad externam Oeconomiam, & ipsam in Ec-
 clesia visibilem consummationem, qua ratione de futuris vati-
 cinia, tanquam prædictiones, proposita sunt: partim quia Da-
 vid, quoad loquendi modum, perfectos & exercitatos imitatur,
 Musicos, qui non tantum variationes tonorum, & vocum a-
 mant, sed etiam varietate personarum cantantium, & melodias
 sonantium, suos cantus illustrant, ad eò faciliorem auscultationem,
 eo jucundiorum delectationem, & copiosiorum fructificationem,
 sicut inquit Virgilius: Alternis dicetis; amant altera
 Camene. Sic Divinissimus noster Musicus, Psalter David, in
 hac gravissima Prophetia, vel Miteria, (a) modo canendo
 personam adsumit Secretarii, verba Principalis ex ejus ore no-
 tantis, & scribentis, vel Referendarii, verba sui Regis vel Prin-
 cipis, aliis referentis: v. 23. Dixit Dominus: Ego de pingvibus con-
 vertam, convertam de profundis maris: & sic verba Domini,
 mediante persona prima, recenset, vel Dominum ipsum lo-
 quentem, & promittentem introducit. (b) modo canendo
 personam secundam introducit, & sub forma, vel allocutionis,
 vel immediate sive testificationis, sive confessionis, sive celebra-
 tionis, cantum suum illustriorem reddit. v. 2. Ut propellitur fu-
 mus, propelles, vertreibe sie/wie der Rauch vertrieben wird. It:
 v. 8. Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransi-
 res in deserto. Conf. v. 10. &c. Et huc pertinet etiam presens v.
 19. Ascendisti in altum. (c) modo canendo tertiam personam
 adducit, & quidem rursus variationibus non neglectis, nim.
 partim sub variatione precatationis v. 1. Exurgat Deus, & dissipen-
 tur inimici ejus: partim sub variatione præceptionis. v. 4. Justi
 epulentur, & exultent in conspectu DEI, & delectentur in lati-
 tia &c. v. 35. Date gloriam Deo super Israel, magnificentia ejus, &

virtus ejus in nubibus: partim sub variatione exhortationis. v. 5. Cantate Deo, Psalmum dicite Nomini ejus: iter facite ei, qui ve-
bitur cum suavitate, Dominus nomen illi: Exultate in conspectu
ejus &c. partim sub variatione, vel informationis, vel consolatio-
nis. v. 6. Deus est Pater Orphanorum, & iudex viduarum. &c. par-
tim sub variatione celebrationis: v. 20. Benedictus Dominus quo-
tidie, onus imponit quidem nobis, sed Deus est salus nostra, Sela:
Deus onus crucis imponit, manum salutis supponit, ne per cru-
cem onerati deficient, vel ultra vires suas in tentationibus
pressuras accipiant. I. Cor. X. 13. &c. Hæc, & alia, multa nos mo-
nere possent, si modo nostri foret instituti, talia persequi.
Sufficit hic nobis, quod in hac mystica, vel sublimi causa,
dum Psalter, cum aliis Messia Mysteriis, Ascensionem glorio-
sam cantando proponere voluit, loquendi modum, objecto
consentaneum, variis rationibus applicare studuerit, &
hic potissimum personam secundam verbalem adhibuerit.
Paulus autem rem ipsam allegat, sed modum loquendi mutat,
& pro verbo participium usurpat, atq; personam secundam in
tertia commutat, inquam: Ascendens in altum, tum quia
non absolute vatem, aut historicum, sed potius Doctorem & A-
postolum repræsentabat; tum quia rationem precedentium hic
introducere volebat, quod commodius in tertia, quam se-
cunda fieri poterat: tum quia sensum in mysteriis, non au-
tem loquendi modum, attendendum esse, docere volebat.

12. (2) *Verborum Oeconomiam, vel sententiam: Sic dicit*
Psalter: Ascendisti in altum: quibus exponit (a) actus Ascen-
sionis subjectum, Tu, du bist in die Höhe gefahren. Hoc subje-
ctum non est alius, quam verus Mundi Messias, Israelitis olim
promissus, & in ipso paradiso protoplastis, & post aliis Pa-
triarchis, ac aliis fidelibus prædictus, quem maximis desideris
tum temporis fideles exoptabant, desiderabant, expecta-
bant, omnibus in solennitatibus, & publicis actibus specta-
bant, laudabant, celebrabant. Gen. IV. 1. V. 29. XLIX. v. 18. &c.
Hic autem in Psalmo nostro gloriosis nominibus, epithetis, &
indiciis honoratur & celebratur. Nos unum, vel alterum mo-
do

do saltem allegabimus. Dicitur enim (a) אלהים v. 2. & sic in primo statim commate. Conf. v. 2. 4. 5. 6. &c. (b) יהוה v. 5. (c) ישראל אלהי ישראל, v. 9. (d) ארני, 12. 15. 20. &c. (e) שדי v. 15. (f) האל, v. 20. 21. (g) יהוה ארני, v. 21. (h) אל simpliciter, vel cum suffixio אלני v. 26. (i) אלהים ארני v. 27. &c. Hæc multitudo *Nominum*, & illustrissimorum *Titulorum* ostendit in *Adscendente Domino*, tum *celstitudinem* divinæ *Majestatis*, tum *magnitudinem* divinæ *potestatis*, tum *habitudinem* cælestis, vereq; *regalis auctoritatis* &c. sed in *Davide* devotissimam *subjectionem*, & *subjectissimam devotionem*, stupendam *admirationem*, admirandam *venerationem*, venerandam *celebrationem* & *glorificationem*, atq; glorificantem *cordis exhilarationem*, oris & *vocis exaltationem*, totiusq; *corporis & Spiritus exaltationem*, sicut alias coram Domino tripudiare solitus est. II. Sam. VI. 16.

13. (β) Ipsum *Adscensionis Actum*, *Adscendisti*, non *aliena virtute*, sicut *Enoch Gen. V. 24.* & *Elias II. Reg. II. 11.* sed potius *propria virtute*, non *materialiter solummodo*, sed vere *causaliter*, tanquam *Autor* hujus *Adscensionis triumphalis*, non ex *sola gratia*, sed potius *de jure*, non per *modum passionis*, sed per *modum operationis*, non per *influxum principalis elevationis*, sicut *Ministri* quidam in *cælum adscenderunt*, sed per *usum principalis divinæ potestatis communicationis* &c. De *Henoch* dicitur I. d. *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*: non *tulit*, aut *sustulit* semetipsum, nec *usu propriae virtutis adscendit* in *cælum*, sed *Deus ipsum tulit*, & in *cælum evexit*, adeoq; *passive* se habuit. De *Elia* quoq; legitur I. c. *Cum pergerent (Elias, & Elifæus) & incedentes sermocinarentur*: *Ecce, currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumq;*, & *adscendit Elias per turbinē in cælum*: *Adscendit autem vectus ignito curru, tractus igneis equis*, non autem *simpliciter seipsum movit*, vel *actu propriae virtutis adscendit*, quia de causa tunc, in *precedentibus Filii prophetarum Elifæo dixerunt in Bethel*: *Nunquid nosti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum à te?* v. 3. idem repetierunt *Filii Prophetarum in Jericho. v. 5. Ipse pariter*

riter Elias dixit Eliseo. v. 9. Postula, quod vis, ut faciam tibi, an-
tequam TOLLAR à te: Sic v. 10. Si videris me, quando TOLLAR
à te, erit tibi, quod petiisti, de duplici nim spiritum. Sed David hic
aliter longe de Triumphali adscensione Messiae verbum facit,
& simpliciter verum, proprium, causalem, operativum eidem
actum adscribit, sicut ex precedentibus, & consequentibus, mul-
tis demonstrare foret in proclivi.

14. (γ) Adscensionis locum, vel terminum: in altum, vel ca-
lum ascendit. David hic exprimit terminum ad quem, cu-
jus potissima ratio fuit habenda, sed præmittit etiam, & im-
plicate proponit terminum à quo, sicut ex contextu patet.
Terminus à quo dicitur generaliter Terra, ubi dissipandi sunt i-
nimici v. 2. ubi vivunt orphani cum viduis. v. 6. ubi dantur deser-
ta, populique peregrinationes per deserta, præcedente Domino.
v. 8. ubi decidunt pluvia. &c: sic disertè Terra dicitur mota. v.
9. Specialiter verò dicitur Mons Dei, mons pingvis, mons coagu-
latus. v. 16. qui mons non est alius, quam Ecclesia, quæ verè
vocatur Mons Dei, quoad statum principalem; mons pingvis,
quoad statum fundamentalem, dum in sanguine Christi funda-
tur, omni pingvedine sanguinis ad fecunditatem, & fertilitatem
destinatur: Mons coagulatus, vel Hebr. mons eibleborum, mons
excelsus, quoad statum formalem & finalem, dum in Christo, ad-
scendente Domino mystica celsitudine donatur. Terminus
ad quem dicitur altum, vel calum, prout ex seqq. apparebit.

15. (II.) Adscensionis Triumphalis Scopum, quare nim. ad-
scenderit, nim. ut captivam duceret captivitatem. Hæc Captivi-
tas non est externa, sed interna, non corporalis, sed spiritualis.
B. Luth. in Gloss. margin. scribit: Christum etiam hostes ferre
coguntur, juxta dictum: Dominare in medio inimicorum tuo-
rum. Nam juxta Protevangelium Christus venerat in hanc
terram, ut inimicitias, quas Deus posuerat, Gen. III. 15. exer-
ceret, simulque suos inimicos vinceret, & nos miseros peccato-
res ab hostibus illis redimeret. (a) Hostis capitalis est ipse Di-
abolus, antiquus serpens, Draco magnus & Satan. Apoc.
XII. 8. Hujus caput contrivit. Gen. III. 15. eidem, tanquam

arma-

armato forti, verus ἰχυρότερος ipse, potenter arma spoliavit, in quibus confidebat, ejusque spolia distribuit. Luc. XI. 22. ipsum, etiamsi mortis habebat imperium, destruxit, Heb. II. 14. ac in eo apparuit, ut ejus opera cuncta dissolveret, I. Job. III. 8.

(b) Magnus etiam hostis peccatum est, quod Chrysostomo magnum dicitur *Demonium*, siquidem hoc imaginem divinam nobis abstulit, *larvam Diabolicam* nobis contulit, & totam naturam nostram corrupit, ita quidem, ut omnis nostra cogitatio, vel etiam primum sigmentum cordis, tantum malum sit ab adolescentia, & omni tempore, Gen. VI. 5. Iux. 21. Sed Agnus Dei propterea venit, ut omne peccatum totius mundi ferret, perferret, & totaliter, quoad reatum, & ejus meritum, auferret, sicut inquit Johannes Baptista: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* (c) Mors etiam hostis generis humani, quia peccati *Stipendium*. Rom. VI. 23. Destruit hominem, relinquit *cadaveris speciem*, tollit naturam, sistit naturae *larvam*, dum, juxta versiculum vulgatum, *Sic in Non-Hominem vertitur omnis homo.* (d) *Infernus hostis* non postremus est, dum nil nisi perpetuum parat ignem, intolerabilem gignit vermen, nunquam desituros cruciatus. (e) *Legis Maledictum*, quod omne Christus recepit in se, tantum ut nos à maledictione legis liberaret. Nam *maledictus est omnis, qui non servat omnia, vel non permanet in sermonibus legis, nec eos opere perficit, & dicet omnis populus, Amen.* Deut. XXVII. 27. Gal. III. 10. Christus autem redemit nos de maledicto legis. factus pro nobis *maledictum*; quia scriptum est: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno* v. 13. Sic etiam hoc legis *maledictum* in adscensione *captivum duxit.* (f) *Conscientiae chirographum*, quia *delevit, quod adversus nos erat chirographum decretis, quod erat contrarium nobis.* Et ipsum tulit de medio affigens illud *cruci.* Glossa Lutheri dicit: *Nil tam contrarium est nobis, sicut propria conscientia, qua tanquam proprio chirographo convincimur, cum lex nobis revelat peccatum, per quod tale chirographum scripsimus, sed Christus ab his omnibus nos liberat per crucem suam, & fugat quoque Diabolum cum peccato, vel juxta Psaltem captivam ducit captivitatem, tam Diaboli,*

quam

quam peccati. *Polus* ex aliis hoc explicat *active*, & *passive*: prius *active*, per hostes, qui antea homines captivos abduxerant, jam vero captivi facti sunt: Captivasti eos, qui populum tuum opprimebant: posterius *passive* homines captivos: non significat eos, qui alios ceperunt, sed qui ipsi capti sunt. Ita vox sumitur. Num. XXI. 1. Deut. XXI. 10. Judic. V. 12. II. Par. XXIX. 17. Conf. I. Cor. XV. 54. Col. II. 15.

16. (III.) *Triumphalis Adscensionis fructum*, & dedit dona hominibus, Heb. Et accepisti dona in Homine. Luth. Du hast Gaben empfangen für die Menschen. *Psaltes* igitur principium *acceptationis*, sed *Paulus* terminum *Donationis* respicit, cum inter *acceptationem*, & *dationem*, iusta sit relatio. Respicit ad hanc *acceptationem* *Petrus*: Act. II. 32. 33. Hunc *Jesus* *Deus* resuscitavit, cuius nos omnes testes sumus: *Dexterâ* igitur *Dei* exaltatus, & *promissione* *Spiritus Sancti* acceptâ à *Patre*, effudit hoc, quod vos nunc videtis, & auditis. Falsum autem, quod nonnulli volunt, quasi tantum ad usum *Sacerdotum*, & *Levitarum* acceperit dona. Nam in *N. T.* cui propria *Christi* dicitur *adscensio*, neq; proprie *Sacerdotes*, nec *Levite* dantur: *Paulus* Certe scribit *Ephesis*, apud quos neque *Sacerdotes*, neque *Levite* fuerunt: & contrarium ipse *Christus* attestatur *Matt. XXIX. 18.* Data mihi potestas omnis in cælis, & in terris. *Observandum* præterea, quod hæc *acceptio*, cum sit *temporalis*, ad *Humanam* pertineat naturam, non ad *Divinam*, quæ nihil in tempore potest accipere, cum sit *intemporalis*, & *æterna*. Sic etiâ recte dicuntur *accipi*, quæ propter hunc finem accipiuntur, quod dantur. *Exod. XXV. 2.* *Eph. XVII. 10.* Et licet inter accipere, vel dare, maxima differentia sit, cum omnino distent generaliter, si absolute supponuntur, & intelliguntur; attamen realiter inter se convenire dicuntur, cum idem, quod accipitur, communiter etiam detur:

17. Accedimus jam ad *Viam Adscensionis Historicam*, v. 9. propositam. Quod autem *adscendit*, quid est, nisi quia & *descendit* primum in inferiores partes terra. Varias loci præsentis *expositiones* nec adducere, nec expendere possumus, sed

ve-

veram saltem, & simplicissimam sententiam adducimus, & paucis probatam reddimus, nim. quod hic in commate primo, quoad *παρὸν*, agatur de Historica Salvatoris Adscensione, sicut & in commate secundo de historico descensu ad inferos, quod satis alias manifestum.

18. Probamus autem hoc (1) ex immediato verborum sensu, qui communiter præferendus aliis. (2) ex prophetia antecessu; quia Prophetia præcedit, Historia sequitur. (3) ex Apostolico respectu, quia Paulus his verbis v. 9. ad Prophetiam v. 8. respicit, & idem objectum exprimit. (4) ex immediato utriusq; nexu, quia propter hanc causam utramq; nim. & Prophetiam, & Historiam, actu connectit. (5) ex utriusq; harmonico consensu, quia pulcherrimè datur hic in omnibus concentus, non tantum in aliis, sed etiã (a) in objecto generali, quod est Christus: (b) in punctis specialibus, tum quoad adscensionem, de qua Psaltes dicit, quod adscenderit in altum, vel calum, Paulus verò simpliciter loquitur, quod adscenderit, nim. per evidentissimam, & usitatissimam adscensionem, quæ καὶ ἐξοχὴν talis dicitur: tum quod captivam duxerit captivitatem, juxta Davidem, h. e. quod ad inferiores terræ partes, juxta Paulum, descenderit, & ex inferno, communi hostium carcere, triumphum duxerit, hostesq; maximos ad triumphalem pompam publice coram Patre Deo, sanctisq; calitibus produxerit: tum quod dona pro hominibus acceperit, juxta Prophetiam, & juxta Paulum, ad Dei dextram exaltatus omnipotenter, & omnipræsenter, illa suis fidelibus distribuerit, ac omnia, sic etiam hoc in casu, præsender adimpleverit. &c:

19. Deinde specialiter hic notamus: (I) Historiam adscensionis, quam breviter introducimus: (1) quoad Ascensionis Veritatem, quæ confirmatur (1) ex sensus simplicitate, quia verbum *ἀναβῆναι* simpliciter adscendere significat. (2) ex verbi identitate, quia Paulus, tum quoad verba Davidis, hoc verbum adhibet, & verbis etiam propriis idem repetit; utrobique proinde significationem eandem attendit, & intendit. (3) ex usus trinitate, quia non tantum una vice verbum hoc introducit, vel altera vice repetit, sed tertia vice repetendo quoque rursus adducit, ut significationis evidentiam, constantiam, & ἀσφα-

C

λειαν

Ad id ostendat, quod eadem in omnibus versiculis hujus verbi
fit acceptio. (4) ex sensus proprietate. (5) ex determinationis per-
spicuitate, quia primo loco determinat verbi significatum,
quod designet adscensionem in altum, vel cælum. (6) ex deter-
minationis primitate, quia non absque causa primo statim lo-
co determinationem addit, ut hic primus usus classem ducat,
sequentes regat, non absque ratione tales ad se trahat, & fa-
cem ipsis præferat, cum primum in quolibet ordine soleat ef-
se norma sequentium. (7) ex prophetias, & historie distincta qua-
litate: nam hæc inter alia prophetias & historie distincta sunt
propria, quod illa sit difficilior, hæc facilior, illa paulum obscu-
rior, hæc clarior, illa sit indeterminatior, hæc determinatior,
illa figuratis, hæc verbis propriis plerumq; describatur. &c. Si
proinde prophetia facilibus, perspicuis, determinatis, propriis verbis
v. 8. proposita, nemo jure potest historie v. 9. verba difficiliora,
vel obscuriora, vel indeterminata, vel figurata tribuere &c.

20. (2) Quoad Adscensionis quidditatem, quæ per Adscen-
dit exhibetur, quæ ratione conspiciamus in eo (1) Adscendentem
Dominum, vel ipsam Causam adscensionis, quæ Christus est v. 7.
Dominus v. 1. & 5. (2) Adscensionis terminum, qui vel dicitur à quo,
nim. à quo Christus ascendit: hic terminus vel est extremus, &
remotus, Infernus, quia primus descendit in partes inferiores terra, vel
infernum, ut inde sumeret triumphalis actus initiū, ubi potissimum
triumphi sedebat objectum, vel primum habebat motivum,
dum contra suos hostes venit, & infernum cum asseclis supe-
rare, captivūq; ducere voluit: vel est intermedius, & propinquus,
nim. ἁλινῶς, terra, quia de terris ascendit in cælum: & ὑψηλῶς
fuit Mons Oliveti. Luc. XXIV. 2. Act. I. 12. Hæc Paulus historica non
verbis exponit, sed tantum implicite sub Adscensionis verbo
comprehendit. (3) Adscensionis Actum, qui formam sistit, per
ipsum verbum ascendit, quæ forma per varia requisita de-
clarari posset, quod sit adscensio (1) vera, (2) propria, (3) activa,
(4) locomotiva, (5) successiva, vid. quoad initium. &c. Vel ad quem,
& dicitur partim indeterminatum Altum, quod in altum adscen-
derit: partim determinatum, quod in cælum adscenderit, & qui-
dem super omnes caelos. &c. (4) Adscensionis Scopum, quod propter

hos homines adscenderit, partim ut dona pro hominibus acciperet; ut ad dextram Dei sedens nobis semper adesset: partim ut omnia adimpleret, v. 10. partim ut nobis per verbum Adscensionis *Mysterium* ad usum nostrum salutarem innotesceret. &c.

21. (II) *Historiam Descensus*, sic notatu digna sunt Apostoli verba: *Quid est, quod adscendit, nisi quia descendit primum in inferiores partes terra.* Nec hic curiosius de varietate sententiarum erimus solliciti, sed planam, & veram sententiam tantum nostram facimus (1) quia hæc est verborum, non hominum, vel interpretum sententia. (2) quia dicitur hæc à Spiritu Sancto inventa, non ab interpretibus inventa. (3) quia hæc tantum est unica, sicut alias forma tantum unica conceditur, non varia, quæ varietas multa secum, vel post se trahit incommoda. (4) est certa, non autem incertis opinionibus exposita, vel etiam involuta. &c. Hæc autem est sententia de Descensu Christi ad inferos.

22. Sic igitur iterum notamus: (1) *Descensus Veritatem*, tum quia dici verum requirit inesse, vel esse verum: tum quia proprietas verbi, vel literæ, veritatem descensus nobis ostendit; tum quia veritas adscensionis hanc etiam Descensus veritatem exigit; tum quia veritas descensus ex veritate Prophetiæ, vel etiam harmonia prophetiæ, & historiæ deducitur; tum quia triumphus totalis hunc sensum exigit; tum quia triumphus terminus ad quem, terminum à quo prærequirit, & supponit, dum ex inferno triumphale factum est exordium; tum quia captivitas, in triumphum ducta, nobis infernum, & Christi Victoris ad hunc Descensum luculenter ostendit. &c.

23. (2) *Descensus Christi quidditatem*, sic etiam notamus, (a) *Causam*, quæ Christus Rex, & Bellator, qui prælium magnum antiquo serpenti, magno Draconi movit, Apoc. XII. 7. & caput ipsi contrivit, Gen. III. 15. & per mortem suam destruxit eum, qui mortis habebat imperium, id est, Diabolum. Heb. II. 14. Rex, & Triumphator, dum, qui descendit, tanquam Triumphator ad caelum conscendit: Rex, & spoliarum dispensator, quia dona, vel spolia nobis hominibus dedit. v. 8. (b) *Materialem respectum* ostendunt duo termini, nim. à quo: Terminus autem à quo dicitur sepulchrum, dum

ibi jacuit mortificatus carne, pariter etiam ibi vivificatus spiri-
 tu, I. Pet. III. 18. siquidem non mortuus, sed vivus in carcerem,
 hostium propugnaculum descendit, & inde captivitatem om-
 nem cepit, ut in triumphum eandem ducere posset. Nam in-
 ter vivificationem & resurrectionem, sicut in loco Petrino lucu-
 lenter ex connexionione patet, intermedius hic Descensus. Termi-
 nus ad quē hujus descensio est Infernus ipse, qui secundū Apo-
 stolum exprimitur per inferiores partes terrae, quae notant ipsum
 infernum, omnium simplicissimè: (1) quoad phraseologian Gram-
 maticam, quia Comparativa construuntur apud Graecos cum Ge-
 nitivo, sic diceret Paulus, quod descenderit Christus in eas partes,
 vel in illa loca, quae sunt adhuc inferiora terrae, vel quam terra.
 Nihil autem terra dicitur inferius, quam ipsemet Infernus. (2)
 quoad phraseologian Paulinam, qui cunctas creaturas, Phil. II. 10
 in tres ordines distribuit τῶν ἐπερραίων, τῶν ἰμυρίων, & τῶν κε-
 ταχθούτων, h. e. caelestium, terrestrium & infernalium. (3) quoad
 phraseologian Mosaicam, qui Num. XVI. 32. 33. recenset, quod terra
 suum os aperuerit, Core, Dathan, & Abiron cum tabernaculis suis de-
 voraverit, & quod Descenderint vivi in Infernum, aperti humo, & de
 medio multitudinis perierint &c. (c) Formalem Actum, qui per τὸ
 Descendere significatur, quo citra dubium vere, proprieq; rea-
 lis, actualis, causalis, triumphalis &c. descensus indicatur, sed haec,
 & alia, modo persequi non licet. (d) Finale Descensus scopum,
 qui dicitur alius, ratione Descendentis Triumphatoris, quia pro-
 pterea descendit, ut, juxta Davidem, captivam duceret captivita-
 tem, alius ratione regalis & economias, vel dispensationis, quod ea-
 de causa primum descenderit, respectu Diabolorum, ut postea
 quoq; ratione hominum triumphum in terris agere, suamq;
 vivificationem per resurrectionem manifestare, tandemq; res-
 pectu caelestium ad Patrem adscendere, & ad dextram Patris instar
 Regis Triumphatoris considerare posset: alius ratione finalis susce-
 ptoriae, ut nobis miseris peccatoribus, antea Diaboli captivis,
 maxima, plurimaq; spolia distribueret, cunctaq; suorum meri-
 torum, & beneficiorum dona conferret.

24. Tandem descendimus & nos ad *Viam Adscensionis Didacticam*, quæ v. 10. plenius exhiberi videtur, quando *Paulus*, *Doctoris* instar, scribit: *Qui descendit, Ipse est, & qui ascendit super omnes celos, ut adimpleret omnia.* His in verbis *Tota Triumphalis Adscensionis Doctrina* paucis verbis exponitur, & quidem (I.) *Triumphalis Adscensionis subjectum*, quod dicitur *ὁ κατὰ βᾶς*, dum illustris hic introducitur vel *Enunciatio*, vel etiam *definitio*: quoad *Enunciationem* *ὁ κατὰ βᾶς* est *ὁ ἀναβᾶς*: ubi *Subjectum* prærequiritur, & præsupponitur, *ὁ κατὰ βᾶς* *Descendens*, & *prædicatum* est *ὁ ἀναβᾶς*, *Adscendens*, dum *Adscensio* *Descensum* sequitur; multa notari hic possent, nisi chartarum angustia calamum coërceret. *Definitio* quoque non incongrua reperitur, dum, *ὁ κατὰ βᾶς*, *definitum* est, quod, tanquam *commune* quid ab *Apostolo* præmittitur, quia *Descendens* & *Resurgenti*, & *Adscendenti*, convenire deprehenditur. Sed *Definitio* postea pluribus exponitur, quoad *conceptum indeterminatū*, quod sit *ἀναβᾶς*, non communi quadam ratione, sed *ὁ ἀναβᾶς*, *ἰξοχικῶς*, *κυβῆως*, *ἀνὸς ἐκ τῶν οὐρανῶν*, *μονοτῆρόπῶς*; &c: & sic *conceptus indeterminatus* restringitur, cum primis dum additur: *tum* quod sit *ὁ ἀναβᾶς* super omnes celos, *tum* quod adimpleat omnia, quæ certe nulli communiter *adscendentiū* competunt, vel competere possunt, cum nec *Angeli* taliter *adscendant*, *Job. I. 51.* nec *homines*, vel *singulariter*, ut *Enoch*, & *Elias*, sic *adscenderint*, nec *universaliter omnes fideles* in die *Pantocritico* sic *adscensuri* sint.

25. (II.) *Triumphalis adscensionis Principium*, quod non est *Angelus*, nec *ψιλάνθρωπος*, sicut modo notatum, sed potius *θεάνθρωπος*, & quidem non quoad *solam Divinam Naturam*, quæ per se nec *descendere*, nec *adscendere*, propter suam *infinite*tem, novit: neq; quoad *solam Humanam Naturam* *ratione sui spectatam*, quæ neutiquam, ex *essentia finita* *ratione*, tale quid eligit, vel expetit: sed *Αὐτὸς κατ' ἰξοχὴν* est *ὁ ἀναβᾶς*, totus *θεάνθρωπος*, non tamen, *ratione suæ Deitatis*, sed *ratione suæ Humanitatis*, quæ, propter *infinite potestatis*, & *majestatis communicationem*, propria *virtute*, *Triumphatoris* instar, *adscendit*.

26. (III)

26. (III.) *Triumphalis Adscensionis Actum, & Artificium, quod designatur ibidem per participium augustum, & titulum Majestaticum, ΑΥΑΒΑΪ, siquidem hoc participium, juxta naturam participiorum, communem actum verbi sui complectitur. Est autem hic Actus (1) singularis, (2) realis, (3) causalis, (4) principalis &c: quæ propria cum aliis multis modis formalem Adscensionis eminentissimæ statum declarare possent, si pluribus illa, juxta textum, explicare liceret.*

27. (IV.) *Triumphalis Adscensionis Finem, vel terminum, qui partim est objectivus, ratione triumphalis Adscensionis, quod nimis super omnes calos adscenderit. Hæc verba rursus varias interpretationes patiuntur, sed omnium optimum Interpretem habemus ipsum Spiritum Sanctum, qui declarat hoc, super omnes calos adscendere, per sessionem ad dextram Patris: Marc. XVI. 16. Assumptus est in calum, & sedet à dextris Dei: sic etiam Paulus in hac Epistola C. I. v. 20. satis evidentem explicationem suppeditat: quod Pater suscitavit Christum à mortuis, & constituerit ad dextram suam in caelestibus super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & super omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecerit sub pedibus ejus; & ipsi dederit caput super omnia, ipsi Ecclesia, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet. Partim subjectivus, quia propterea dicitur in calum adscendisse, vel super omnes calos, ut adimpleret omnia: (1) sua virtute, vel potentia. (2) sua majestate, vel eminentia. (3) sua bonitate, vel gratia. (4) sua plenitudine, vel presentia. (5) sua activitate, vel energia. (6) sua veracitate, vel promissorum adimpletorum evidentia. &c:*

**SOLI TRIUMPHANTI SIT OMNIS
GLORIA!**



Ad

AD PEREXIMIUM ATQUE PRÆSTAN-
TISSIMUM

DN. DANIEL DEUDZNB/
ISS, THEOL, STUDIOS. INDUSTRIUM,
DE ADSCENSIONE CHRISTI VICTORIS
PUBLICE DISPUTANTEM.

SI reliqua *Mysteria Christi Salvatoris*, PEREXIMIE DN. RESPONDENS, AMICE DILECTE, devotam à nobis *Gratitudinem* requirunt, *Festum Adscensionis* eam ex necessitate quadam exigit. *Christus*, per suam in cælos *adscensionem*, *Viam suæ*, tum *peregrinationis*, tum *expeditionis*, finiit, ad *Patrem caelestem* nostri causa rediit, ad ejus *dexteram* confedit, *universalem Gubernationem Ecclesia*, totiusque *Mundi* suscepit, *Spiritum Sanctum Paracletum* fidelibus *Christianis*, ac in primis *Verbi Ministris*, misit, copiaque mirabili dona *Veritatis*, & *pietatis*, effudit. Neque *donorum* istorum *multitudinem*, & *magnitudinem*, eloquentissimus explicando, vel sapientissimus cogitando, quadantenus saltem persequi valeret. *Mirari*, non *rimari*, *sapientia summa*, pariter hic dicendum. Tu, DOCTISSIME DN. DEUDZNB/ nunc *piis Meditationibus* cælos cum *Salvatore* tuo conscendis, *piumque Ministerium Victoris Triumphantis* festivale suscipis. Videbit hoc *Sedens à dextris Patris*, & tanquam *Ecclesie Præses*, ac *Orphanorum Pater*, *Tui* rationem habebit. Propediem Te, quia *super pauca fidelis servus* esse voluisti, *super plura* constituet. Ipse pro sua pietate Tibi *Multos PATRONOS & MAGNOS* excitabit, atque per *Hos Ecclesie suæ curâ Tibi* commendabit. FIAT! IN NOMINE JESU TRIUMPHATORIS, FIAT! Witteb. die Pro-
festo Adscens. Anno M DC XC.

Johannes Deutschmann / D.

Non nisi cum studio victoria clara paratur,
Ne claurus frondes absque labore virent.
Hinc Cathedram scandis summâ cum laude, do-
cesque,

Quæ sint Victori Serta parata tibi.
Gratulor ex animo, pergas feliciter, atque
Expectes felix præmia parta tibi.

Michael Waltherus, D.



MUnera dum mentis vario sic flore nitescunt,
Promis & ingenii pignora verna Tui;
Subrisit Pallas; tum maturescere jussit,
Letus ut Autumnus præmia digna ferat,

gratulab. scripsit

M. Joh. Georg. Neumann/

Fac. Phil. Adj. p. t. DECANUS.



Perge triumphalem vecti super æthera Christi
Ascensum, TREUDING, mente movere pia.
Sitque fides tua fida Deo res, crede, juvabit,
Ut quoque Tu superas ingrediare domos.

In honorem Svavissimi sui Conterra-
nei gratulabundus

app.

M. Aug. Wolfius,

Lœbejunâ Saxo.


05 A 192

ULB Halle 3
004 206 916


VDA







IN NOMINE JESU
TUMPHATORIS ADSCENDENTIS!

FESTUM SCENSIONIS

VIDICO-PAULINUM,

EX ORACULO EPHES. IV. 8. 9. 10.
ACADEMIA ELECTORALI
WITTEBERGENSIUM,
ORIAM, ET GLORIAM ADSCENDENTIS,
DEVOTE CELEBRABUNT,

PRÆSES
HANN. Deutschmann/
Prof. Publ. & SENIOR,

ET RESPONDENS,
NIEL KREUDZNER/
CONNARIA SAXO,
Publica Disputatione
AD DIEM XXX. MAJI,
ANNO MDCXC.

IN AUDITORIO MAIORI,
Horis Antemeridianis.

TEMBERGÆ, Typis JOHANNIS WILCKII,